

278

276

282

272

287

267

327

227

377

177

Ende

Anfang

263

fecit etiam ad eos in domum suam, ut eos audirem, quia
sciebat in proximo me recessurum ad illa loca. Et inchoantes
mendacia sua ita formaliter proponebaut, quod in nullo, quae
dicebant, haesitavi. Taedet me recitare fictiones illas. Dis-
suadebant mihi, ne per mare navigarem, sed pedes per Un-
gariam, Dalmatiam usque Constantinopolim properarem, et ibi
imperator constantinopolitanus L ducatos mihi daret, quia
teneretur cuilibet peregrino terrae sanctae tantum dare. Et
quando argui contra hoc, ex eo, quod imperator ille non
est Christianus sed Turcus, statim scivit aliis mendaciis argu-
menta mea solvere. Dixerat etiam, quod (102A) rex Jeru-
salem jam factus esset Christianus, et civitas conversa esset
ad Christum, et quod rex ille nullum militem sineret per-
cutere in sancto sepulchro, nisi secum luctatus fuisse et pro-
basset eum fortem viribus. Et quod capella dominici sepulchri
esset auro fulvo vestita, et lampades ejus penderent in can-
delabris aureis, et una lampas supra domunculam sepulchri
Christi arderet in perpetuum sine accensione, et haberet oleum
et ignem de coelo. Et quod tota Jerusalem de pretiosis lapi-
dibus etiam constructa, et protulit unus lapillum impolitum
quem dixit se in platea Jerusalem invenisse, et pro 20. du-
catis non vellet eum vendere: et si quis lapides pretiosos
nosceret, eos ibi inter communes lapides reperiret in copia.
Nudavit etiam unus de illis, me vidente, scapulam et hume-
rum dextrum, et ostendit nobis cicatricem rubeam rotundam
figurae illius, ut in margine est expressum, dicens: quod
abbas monasterii S. Catharinae montis Synai habet unam
parvam rotam auream, quam carbonibus ardentibus superponit,
et dum ignescit, forcipe eam levat, et peregrinum sic nudatum
cauterizat in humero dextro. Non etiam veriti recitare men-
daciūm praedictūm de illo, qui dedit alapam Jesu, dicentes,
se cum eo locutos fuisse, et quod non omnes peregrini ad
eum admitterentur. Haec et plura alia dixerunt mendacia, et
nunquam Jerusalem viderunt. Ego dum essem in domo
Annae, jocose a quodam fratre minore ductore nostro quaesivi,
ubi vir ille staret, qui alapam Domino Jesu dedit? Frater
autem ille ad latus ecclesiae ab extra me duxit et unam
olivam ibi stantem ostendit, dicens: ecce ille est vir, de quo

